



Universitätsbibliothek Paderborn

**Rev. P. Francisci Josephi à Rodt Capuccini Anterioris
Austriæ Provinciæ. Opus ...**

Planctvs Ecclesiæ Et Animæ - Super Caput Primum Lamentationum
Jeremiæ Prophetæ. Allegorice, Et Moraliter Expositus, & Distributus In
Discursus LII. Concionatorios Quadragesimales ... ; Scilicet Liber Vitæ, Et
Excessvs Amoris ...

Rodt, Franz Joseph von

Campoduni, 1680

Discursus XLIV. Cor peccatoris horridum desertum, in quo avidè venatur
Deus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52659)



DISCURSUS XLIII.

Res.

Subversum est cor meum in memetipsa. *Thr.*

Cap. I. v. 20.

DE ANIMA.

Desertum horridum, est cor hominis peccatoris, in quo avidè venatur Deus.

Fuisis per varia prælia feliciter hostibus, fratres suos hortatus est Judas Machabaeus: *Ascendamus nunc mundare sancta, & renovare;* L. *Mach.* 4. v. 36. Ut ergo totus exercitus ascendit in montem Sion, viderunt sanctificationem desertam, & altare prophætatum, & portas exustas, & in atris virgulta nata sicut in saltu. Quæ miseranda templi facies horrorem incusit Israëlitis, & tristiam summam, ita ut in terram prostrati, scissis vestibus, & capitibus cinere conspersi, plangentes, & ejulantes clamarent in cœlum, constitutis postea sacerdotibus, qui sancta mundarent. Sed longè adhuc horribilior Civitatis sanctæ, maximè autem domus Dei facies erat, in ejus devastatione, & exustione tempore Je-

remiæ prophetæ: *Vide Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus, subversum est cor menin meum, subversum est cor memini in memetipsa.* Que verba in sensu morali, Glossa intelligit de anima peccatrice, doloribus variis vexatâ, cuius sanctificatio deserta est, id est: *Cor vacuum ab omni bono*, uti *Hug. exponit: subversum est cor meum, & in horridum desertum, (exustis portis, & virgulis sicut in saltu natis,) conversum.* Plangentes igitur, & pulvere poenitentia conspersi ingrediamur subversum hoc, à peccatis, cor desertum, in illo veniam, ut illud mundemus, & renovemus.

Promittitur per Isaiam à Dominio, *Vox clamantis in deserto, Isa. 40.3. parate viam Domini. Hæc vox in deserto, ad literam, fuit Praecur-*

Glossa
ord. hic.
Hugo in
Machab.
hic.

Math. 3

cursor Domini , qui baptismum
poenitentia prædicens in eremo ,
declaravit se, quod esset vox cla-
mantis in deserto. Sed ne diutius
inhæreamus litera (ait S. Thomas
de Villanova) ad ipsum sensum
spiritualem, ac moralem progre-

S. Thom. diamur. Itaque Desertum hoc, est
de Villanova peccator. Habet deserti conditiones,
nov. Do- quia hæridus est, & in cultus, nulla
minic. 4. minima.

Adv. fruge commoda seminata, generat
spinæ, & tribulos, sentibus & vepris
bus densis prævarum cogitationum &
desideriorum est obitus undique, &
sit habitatio bestiarum, & silvestrium,
& ferarum, serpentium, & scorpio-
num; sicut ait Isaías: Erit cubile dra-
conum, & pascua struthionum, &c.

Hoc etiam desertum in illis
verbis tangit Propheta regius:

Psal. 18. 8 Vox Domini concutunt desertum, &
commovebit Dominus desertum Cades. Id est, vox Domini concu-
tientis per timorem, desertum, id
est, hominem in fructuosum, juxta

Hug. hic. mordem expositionem Hugo-
nis: & commovebit, ad bonum
agendum, desertum Cades, cor

Cor pec- peccatorū. Et nota, quod cor pecca-
torū de toris dicitur desertum propter qua-
serum. tuc scilicet, quia sterile est per otio-
ritatem, in cultum per negligentiam,
& seru inhabitatum, per monstruoso-
rum peccatorum ad inventionem. Et
deinde, quia in fructuosis arboribus
est constitutum, per pravorum morum
consuetudinem.

III. Examineamus singula. Primo
igitur desertum, est cor peccato-
ris, quia sterile est per otiosita-

tem: Praesumit subinde nimium
de seipso, anima humana, & jacta-
bunda illis Isaiae verbis gloriatur: sterili-
tatem. Non sedebo vidua, & ignorabo sterili-
tatem. Sed cominatur illi Deus:
venient tibi hac duo, subito in die una:
sterilitas, & viduitas; ut non possis
de cætero generare filios, id est facere
opera, quæ te ducant ad cælum. Et Hugo
viduitas: ut amittas Christum spon-
sum. Sic ergo anima fit vidua,
quæ Christo sposo per charita-
tem conjuncta, erat domina gen-
tium, & Regina; ob sterilitatem,
& viduitatem conversa in deser-
tum; Desertum quippe à dese-
rendo dicitur. Quanta solitudo (ex-
clamat Thomas de Villanova,) ubi
Deus nū est? Quanta fœtas, ubi
pluvia cœlestis non cadit? Quia illam
montium Gelboë maledictionem
à Davide datam contraxit: Ne
ros, nec pluvia veniant super vos. 2. Reg. 1.
Quantæ sterilitas, ubi deest calor solis,
& cultus spiritus? Duo haec steri-
litatem faciunt, defectus calo-
ris, qui per solarium/radiorum
influentiam generatur, & caren-
tia humiditatis ex defectu aqua-
rum, maximè autem pluviarum
& roris. Unde per Psalmum Re-
gium suspirans, exclamat anima,
in terra deserta, invia, & in aquosa, Psal. 61. 3.
sic in sancto apparui tibi. Licet ipsa-
met peccatrix anima horum om-
nium malorum causa sit, & ori-
go, dum ad divinæ gratiæ radios,
influxum, & rorem, nobis com-
municandum, paratissimus sem-
per est Deus, quem tamen nos
obligi-

obstinata malitia repellimus, miseriis nostris, siccitati & sterilitati condolente Deo, nam teste eodem sacro Antistite: *Huc deserto, non cessat Dominus loqui, ut commoveatur, & redeat;* scilicet ad bene agendum, & fructificandum. *Donec sterilu peperit plurimos.* Nam (uti bene observat Cornelius) anima peccatrix, ideoque bonorum operum sterilis, parit plurimos, cum solari divinæ gratiæ calore ac lumine irradiata, a clachrymis pœnitentiaæ rigata, multos fidei, spei, charitatis eleemosynæ, abstinentiaæ, aliarumque virtutum actus producit, ut ipsa de sterilitatis suæ sublevatione admiretur: *Et dices in corde tuo; quis genuit mihi istos? Ego sterilu, & non pariens transmigrata, & captiva?* *Et istos, qui enutrivit?* Ego destituta & sola: *Et isti ubi erant?* At è converso anima justa, quæ bonis operibus abundabat, in peccatum mortale prolapsa, adeò efficitur sterilis, & vidua, ut non modò opera bona, & meritoria non pariat, sed etiam jam parta amittat, superveniente ei una die, sterilitate, & viduitate, ut sit deserta simul, & sterilis. Hanc etiam sterilitatem passus David in anima sua, ingemiscit: *Retribuebat mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.*

IV. Secundò, desertum est cor peccatoris, quia incultum est per negligentiam, de qua rectè Rex sapientissimus: *Per agrum hominis*

P. Franc. Joseph Op. IV.

pigri transivi, & per vineam stulti Secundò viri: Et ecce totum repleverant urticae, operuerant superficiem ejus spinae, & maceria lapidum destructa erat. Ager aut vinea, quæ à colono negliguntur, nec excolitur, non tantum nullos profert fructus, sed insuminam tendit sterilitatem, & solitudinem; totaque silvæ cit, ut silve sit in præteritis vidimus bellis per regiones nostras, ubi ob cultorum, & agricolarum defectum integrum agri, & campi ita inhorruerunt, ut excrescentibus non tantum juniperis, & dumetis, sed etiam iusta magnitudinis abietibus, betulis, imò & quercubus, densissimæ apparuerint silvæ, à seris inhabitata, nullis agri, aut campi relictis vestigijs. Quod ergo per agricolarum defectum, aut colonorum negligentiam accidit in agris & campis, idem evenire solet in corde, & conscientia hominis, quam per agrum, & vineam intelligit Lyranns, cui etiam assentitur Glossa Ord. ex S. Gregorio his verbis: *Quam urticæ & spinæ repl. n. qui in corde negligentia pruriens terrena desideria, & pungentes pululant vitiorum; & quemadmodum ex negligentia coloni facilè maceria vetustate, & tempestatum injuria corruit, ea autem corridente, vinea, & ager ferarum devestationi pater, ac patens destruitur, sic etiam in homine murus & maceria destruitur, & ferarum, (vitiosorum affectuum) motibus & incursi-*

Bbb

bus

*Glossa
Ord.*

*Et cor-
ravit.*

bus infestatur, cum incepta vir-
tutum munimina, vel improbitate
hominum deceptus, vel diaboli per su-
fione, quisque negligens perdit, ait
Glossa. Nec minus accōmodè ad
propositum nostrum septuaginta
hunc passum vertunt. **Tanquam**
ager vir imprudens, & tanquam vi-
neæ, homo egens sensu; si dimiseris
eum, desertus fiet, & silvescet to-
tus.

Ager vi- Quandoquidem ergo ipsi ho-
strandus. mines negligentes & insipientes,

sibi plis dimissi ita in corde suo
silvescunt, necesse est, ut ipsi Pa-
tres familias, ac Prælati agrum vi-

sitent ac pertranseant, nam (ut
loco præfato advertit Glossa) **Per**

A Præla- **agrui, vineamque pigris transire, est**

tit. **cuiclibet vitam inspicere negligentius,**
dum ergo transeundo, & inspi-
ciendo, spinas, urticæ, & ziza-
nia exorta, maceriam autem vir-
tutum collapsam depræhendunt,
hanc salubribus consilijs, ac do-
ctrinis restaurare, illa verò per
correctionem fraternalm eradica-
re debent, ne vinea, & ager tota-
liter in sylvam excrescens, rece-
ptaculum fiat bestiarum.

V. Unde etiam Hugo notat, quòd
cor peccatoris, est desertum,

quia a feru habitatum, per monstruo-

rum peccatorum adinventionem.

Aet. 10. Viderat Apostolorum Princeps
in mentis excessu vas quoddam, ve-
luti linteum magnum, quatuor ini-
tijs submitti de cœlo in terram, in quo
erant omnia quadrupedia, & serpen-
tiæ terreæ, & volatilia cœli; & facta

v. II.

Tertio.

Cor de-

sernum.

est vox ad eum: surge Petre, occide,
& manduca. Varij varie hunc scri-
pturæ passum, & figurationem
explicant, aliqui per linteum to-
tum terrarum orbem intelligent,
ex quatuor elementis, tanquam
initijs compactum, in quo varia
animalia, varij sunt hominum
status. Vel ipsum etiam hominis ob inha-
peccatoris cor, & conscientiam bitane-
denotare potest, ita ut per vola-
tilia, peccata superbia, per fer-
pentia invidia, & iracundia, per
quadrupedia avaritia, gula, &
luxuriosa intelligentur.

Ubi ergo tot bestie moran-
tur, quid aliud, quam desertum
esse potest? Et benedicitur cor de-
sertum (ait Hugo) in quo quidem Hugo
sunt leones superbia, grybes iracun-
dæ, mures, qui omnia corrodunt,
detractiōnis sive invidiæ, boves sive
mulæ pigræ, & porci luxuriæ, ursi
gulositatæ, vulpes dolositatæ, milvi
rapacitatæ, milvi, qui incarnantur
in præda, scilicet tenacitatæ. Ut
etiam Isaïas commemorat: Re-
quiescent ibi bestie, replebuntur do-
mus eorum draconibus, & habitabunt
ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi,
& respondebunt ibi ulule in ædibæ
suis, & sirenes in delubris voluptatis.
Ad has ergo bestias, & animæ,
surge, & occide.

Denique desertum est cor Quarto
peccatoris, quia in fructuosis arbo-
ribus est consumum, per pravorum mo-
rum consuetudinem; arbor mala,
non potest fructus facere, vel
saltem non nisi malos. Quos ergo
fru-

ob in fru- fructus horridum hoc desertum,
tuae cor peccatoris facit? Denique
arbores (respondet ad propositum no-
pavorū strum S. Thomas de Villan.) nul-
morum lus fructus in eo, nisi g'landes porco-
rum, sed solitudo, siccitas, sterilitas,
s. Thom. Villan. horror, & pavor, & fames inter
VI. glandes porcorum.

Luc. 15. VI. Deserti hujus infruētiferi hor-
rorem expertus fuerat filius ille
prodigus, qui è paterna domo re-
cedens, dissipata substantia sua
adhæsit uni civium regionis illius,
& inter summas famis angustias,
pascendis porcis addictus, cupie-
bat saltem implere ventrem de fili: quis
& glandibus, quas porci manduca-
bant, & nemo illi dabant. Pascuntur
animæ justæ rore, & manna cœ-
lestis dulcedinis, & consolationis,
sed anima peccatrix siliquis, &
glandibus porcorum in hoc de-
serto nutritur, nec tamen imple-
tur.

Exod. 15. 23. Nec minor sitis quam famis in
hoc deserto supplicium. Egressi
è mari rubro Israelita, ambula-
verunt tribus diebus per solitudinem,
& non inveniebant aquam. Et vene-
runt in Mara, nec poterant b. bere
aquas de Mara, è quod essent amarae.
Desertum est cor peccatoris, vel
desertum Sur, quod est in quo-
sum, vel desertum Mara, quod
non habet nisi aquas amaras, unde
ad hoc desertum optime quadrat
illud Jeremias: Traduxit nos per de-
sertum, per terram inhabitat. lem,
& inviam, per terram siti, & imagi-
nem mortis.

Agar ancillam, una cum puero Genet. 21.
Hmæle, domo expulerat Abra- v. 15.
hamus, modico pane, & utre
aqua scapulæ ejus, viatici loco,
imposito. Oberrans ergo Agar
in solitudine, cum consumpta esset
aqua in utre, abiecit puerum subter
unam arborem, que ibi erat, & abiit.

abraham (observat h̄c Cardina- Hugo
lis à S. Caro) id est, Deus Pater, si Card hic?
lios suos tradidit Christo docendos; Agar
sed filios Agar, id est, mundi amato- mundus.
res, tradidit mundo: Mundus autem
male custodit filios suos, quia errat,
& ipsi cum eo. Erraverunt in solitu- Psal. 106.
dine in inaquo, viam civitatis ha v. 4.
bitaculi non invenerunt. Et dicit Errat cit
B. Bernardus hoc exponens: Hæc so- suis filiis
lundo superborum est, qui se solos re-
putant, & se solos elevant &c. Sed
& idem de reliquis vitijs intelli-
gendum.

In hoc ergo deserto, deficien-
te aqua, fame & siti fatiscentem
filium projicit mundus subter
unam arborem, Arbor ista crux est Peccator
(ait Hugo) subter quam cum miser a mundo
homo vider, quod pater suis mundus, sub cruce
& mater sua, concupiscentia, dere-
liquierunt eum, fugit ad imitationem
illis, qui in ea dormivit, & dominus
assumit eum, si ut & latronem dexte-
rum assumpit. Pater meus, & ma- sal. 25.
ter mea dereliquerunt me, Dominus v. 11.
autem assumpit me. Derelicto pue-
ro Ismaeli, & ejulanti, terga ver-
terat Agar, Exaudiuit autem Deus
vocem pueri, quia sub arbore crucis Hugo
clamantes exaudit Dominus. & su- ibidem
per aquæ penuria exauditur puer,

Bbb 2

Iudic

A Deo
suscipitur
Erofici-
tur.

VII.

Vocat
Deus e
deserto.

Hugo
Card.
Tendit
arcum
commina-
tionis.

Judic 1. Axa insidens asino impetra-
vit à pare irriguum superius. Hoc
est (pergit idem expositor) quod
anima carnis mortificationis insidens,
impetrat à Deo aquas devotionis,
compunctionis, & itam aquas spiri-
tualis intelligentie.

Imò antequam ejulans, &
flens ad Deum vocem emitat è
deserto suo anima peccatrix,
jam intonat vox clamantis Dei
in deserto, non cessat Dominus lo-
qui (ut superius Antistes Valen-
tinus insinuavit) ut commoveatur
desertum Cades. Surge, ô peccator
(glossatur Hugo) tolle puerum, &
tene manum illius.

Nihil ita pericolosum homini,
præsertim adhuc pueru, quam
in deserto invio, & in aquoso
oberrare solum, & obdormire
inter feras bestias. Hujusmodi
curam non habet mundus, sed
errantes in periculis, & obdor-
mientes deserit: Christus autem
voce sua excitat, & extra ja-
ctum arcus, seu sagitta non re-
cedit. Arcus, est divina commina-
tio, ait Hugo, qui etiam supra
cap. 40. Ila. addit: In hoc deserto
(id est, in corde deserto pecca-
toris) Dominus tendit arcum, quan-
do futur judicij pœnam comminatur.
Vnde Psal. 59. Dedisti metuentibus
te significacionem, ut fugiant à facie
arcus. Ab hoc arcu exit sagitta ti-
morū, faciens in corde vulnus con-
tritionis, quando scilicet cor pec-
catoris (desertum Cades) non

commovetur, & concutitur à
voce Domini suaviter revoca-
nis, timere docetur, & commo-
veri ab arcu sagittæ vulnerantis.
Et siquidem ferae è deserto cor-
dis migrare nolint, ijsque ex-
pellendis insufficiens sit peccator,
venari eos ipse Dei filius infati-
gato labore contendit.

Psallite Domino (jubet Prophe- VIII.
ta regius) Annuntiate inter gen- Psal. 9. v. 11.
ges studia eius. Et quænam hæc
studia? Mula (inquit Hugo Ca- Hugo
rensis) fuerunt studia Domini. Pri- Card.
mum fuit studium pictoris, forma- Dei sp.
vit enim nos ad imaginem, & simi- àor.
litudinem suam. Magno enim studio,
& diligentia formavit nos Deus; unde
quasi studens, & deliberans ait: Fa-
ciamus hominem.

Studuit etiam pescationi, atque
hoc studium continuandum exo-
ptans, reliquit post se studentes
huic arti, discipulos suos. Insu-
per prater studium alicupis, pu-
gilis, sophista, custodis, maxi-
mè etiam studuit Dei filius ve-
nationi. Quare Hugo affirmat:
Secundum studium ejus, fuit Venato-
ru. Venatus est enim nos per se, Venator.
& per alios.

Avidus erat carnis ferina ad-
huc in summa sua senectute
Isaac, quare jam caligantibus
oculis, & morti vicinus, voca-
to ad se filio ait: Tolle arma tua,
& phaririam, & arcum, cumque
venatu aliquid apprehenderem, fac
mihi inde pulmentum, sicut velle me
noſti. Genes. 27.
v. 3.

nosti. Isaac, id est, Deus Pater, dicit Hugo ubi hoc Filio: ait Hugo: Per arcum supra significatur prædicatio, per pharetram scientia Sacrae Scripturæ, per Ierem 15. feras, peccatores. Posthac mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum. In montibus enim, & collibus & cavernis solent ferae habitare. In monte notatores Venatores. Venerantur superbia, in colle lubricum carnares, in caverna perrarum avaritia, propter dolositatem, quæ est in acquirendo, & duritiam in reuinendo. Et de his tribus peccatis debent venatores, id est, Prædicatores, extrahere peccatores.

Christus p[ro]m[is]t delectari cum hominibus, Debent enim Prædicatores imitari studium sui Magistri, qui avidissimus fuit, & studiosissimus venationis, adeò ut ad venandum de celo in terram descendenter, contestatus in hoc studio animum suum refocillari: ut

Prov. 8. v. 31. ludens in orbe terrarum venatione homines insequatur, & aelicia meæ esse cum filiis hominum. Sed rānquid majores cum aulicis suis (ministrantibus, & afflentibus Angelis) habere poterat Dei Filius delicias? Imò verò respon-

Hugo hic det Cardinalis à S. Caro, Potius sunt ei delitiae cum filiis hominum, quam cum Angelis, quia de his, quæ aucupio vel venatione, capiuntur, sicut deliciae ciborum, non de domesticis. Quare avidus hujus feri-

Quād Ange. is. de sinu Patris, & in desertum

hujus mundi descendens, assumpsit arcum prædicationis, & ipse quidem venatione prædicationis, & aucupio crucis caput homines, die ac nocte ex nimio venandi desiderio desertum incolens, & solitudines, ductus etiam à spiritu in desertum.

Serius subinde lusus, & periculorum studium est venatio, magnatum saepe ac heroum sanguine cruentata. Sic Astulphus colloq. 27

Longobardorum Rex ab apro misere prostratus, & occisus est, quod idem nostris temporebus contigit Nicolao Comiti

Zerinio. Falco Gallus, Jerosolymorum Rex, lepusculum cques insecurus, ex equo delapsus interiit. Basilius Macedo, Orientis Imperator, à cervo inter venationem confossus periit. Ludovicus Bavarus Imperator Romanus ursum citato equo insecurus, subita apoplexia tactus, moribundus ex equo decidit. Grimoaldus Longobardorum Rex, dum ad jaculandam columbam arcum terendit, venam paulò ante incisam, & tenera adhuc cuticula obductam rupit, tantumque effudit sanguinis, ut simul cum isto vitam emitteret.

Aetæon (si Poëtis haberi fides potest) nimio venandi studio, ac aviditate in cervum est commutatus, dum se lavantem Diannam, curiosius aspexit, & sic

Bbb 3 à pro-

IX.
Majus
dierum
Canic.

Exempla
tragica
Venatio-
num.

à proprijs suis canibus uti non agnitus, ita disceptus, lugubri voce eos compellavit.

Aetœon
à proprijs
canibus
discep-
tus.

Aetœon ego sum, Dominum eo-
gnoscite vestrum.

Non meliorem in venando sor-
tein, habuerunt venatōres Evan-
gelici, Joannes Baptista enim,
Venator eximus, & continuus
incola deserti, à porco, seu po-
tiūs porca Herodiade occisus est.
Apostoli vehatores hinc inde à
feris, & barbaris tyranis jugu-
lati lacerati, excoriat. Ipse quo-
que Dei Filius, arcum suum ve-
naticum fortiter nimis in cruce
tendens, ruptis venis, & toto
effuso sanguine, cum illo & vi-
tam-fudit.

Christus
quasi
Acteon.

Nec multum me aberraturum
credo, si illum non fictum, sed
verum Aetœonem dixerim, qui
ex venandi aviditate in mundi hu-
jus desertum descendens, ex pul-
cherrima Diana, animæ huma-
na ad imaginem Dei factæ, aspe-
ctu, & amore in hinnulum cer-
vorum mutatus fuit: Similis est di-
lectus meu, capre, hinnulæque cer-
vorum. Dum scilicet pelle capri-
na humanae naturæ, formam Dei-
tatis contexit, & sic à Judæis non
agnitus, tamquam à saevissimis
canibus laceratus fuit.

X.

Nec tamen, tam saeva per ve-
nationem expertus, adhuc à ve-
nandi desiderio defluit Dei Fi-
lius, sed à mortuis resurgens,
adhuc venatur cum suis venato-

ribus in deserto mundi, & cordis
humani; Vox dilecti mei, ecce iste
venit saliens in montibus, transiliens
colles, & quidemad venandum ea-
pice mihi ru'pes parvulas, que demo-
liuntur vineam. Cave ò anima
peccatrix fera pessima, ne hanc
devites venantium vocem, & ar-
cum, sed ipsa laqueis, telis, &
vulneribus occurre, & capien-
tem amplectere, si salutem tuam
amas, nam

Qui cap' tur vivit, qui fugit ille Qui cap' tur vivit
perit.

Utique à Christo capi, quām
in horrido mundi deserto instar
onagrum vagari diutius, nobis
consultius est.

Quodsi verò per desertum,
ipsum cor peccatoris (uti ab ini-
tio dictum) intelligamus, adhuc
venatorem agere Christus non
gravatur; in deserto, id est in corde
(ait Hugo) Dom' nus enim quasi Hugo in
venatōr sp' ritualis clamat in corde Ha.c.40.
per inspirationem, & can se ius ve-
natici, id est, predicatores per admo-
nitionem. Hunc venatorem, & Venatio
canes venaticos ne repellas à de-
serto cordis tui, ò anima pecca-
trix, sed eos intromitte in terram
desertam, locum horroris, &
vaſtae solitudinis, unā cum illis
scrutare leones superbos, gry-
phes iracundas, mures morda-
ces & detractorios, mulos pi-
gros, apros lascivos, ursos gu-
lusos, vulpes dolosas, milvos
rapaces &c. Scrutare insequere,
surge,

Cant. 2. v.
9.
Vestitus
pelle hu-
mana.

surge, & occide, & purga à sor-
dibus bestiarum, desertum cor-
distui, ut ejectis hisce feris san-
ctarenoventur, mundentur, &
ex cubili draconum & struthio-
num, domus, & templum Dei
mundum efficiatur, quod divina
majestas inhabitare desiderat,
hīc misericorditer per gratiam,
& ibi magnifice per gloriam
in omnem æternitatem.
Amen.



DISCURSUS XLV.

Res.

Vide Domine, quoniam tribulor; contur-
batus est venter meus, subversum est cor meū
in memetipsa, foris interfecit gladius, & domi-
mors similis est. *Thren. I. v. 20.*

DE ECCLESIA.

*Ecclesia olim per unitatem fidelium aedificata,
plangit, se modo per discordiam destruit.*

Formatur Deus Adæ tu dignum venit, quod Deus nō
adjutorum simile sibi, formasse, sed aedificasse ex costa *Figurat*
tulit unam de costis ejus Evam dicitur, sicut enim domus *Ecclesiam*
dormientis, & aedificavit suis constat partibus, & compa-
genibus, tricliniis, & officinis, ita
Gen. 2,22. Eva adi Dominus Deus costam, quam tulerat & corpus suis constat membris,
frata non de Adam, in mulierem: Per Evam & officinis, ad exequendum vel
formata. ex latere dormientis viri for- chylum, vel chymum, vel san-
matam, seu aedificatam, in sensu allegorico figurari Ecclesiam, guinem, vel spiritus vitales, &
concorditer affirmant Doctores, animales, &c. Quæ officinæ, nisi
quæ quasi ex latere obdormien- sibi invicem correspōdeant con-
tis per mortem, Christi Crucifixi, formata, vel potius aedifi- sensu sympathetico, tota homi-
cata fuit. Nam imprimis nota- nis artificiosa structura cor-
ruit.

Cum